



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

III. An, & quale quid sit Character Sacramentalis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

4. Ratio fauet. i. Sacramenta sunt instituta vt dent certitudinem remissionis peccatorum, Non *Infallibilem*, vt heretici volunt, Luth. *de Capt. bab. c. de bapt.* Kemn. &c. Nec rament *dubiam*; sed *Moralem*; quoad nos, qui ponere obicem possumus; quoad Sacramentorum autem efficaciam ex opere operato. *Certā* infallibiliter, ob Christi institutionem. Cui rament & in conferentis intentione defectus accidere potest. Quare ea operantur non solum obiectiue representando, sed vere efficiendo.

2. Quia Verbum prædicatorum facit fidem, *Fides enim ex auditu est*: Rom. 10 at Sacramenta prærequirunt, saltem in adultis A&S. *Si credis e toto corde, licet baptizari*. Itaque hæc quid conferunt, quod præuia fides non contulerat reale ac necessarium.

3. Quacunque lingua non intellecta dentur Sacramenta, efficaciter dantur; at verbum non intellectum nil excitat fidem.

Non ergo operantur more concionis, sed modo ex ipsis manante.

Caluinus *Inst.* 4. c. 15. §. 15. Melanch. in *Locis de bapt.* istudi; *Ego te baptizo &c.* Sic exponere coguntur: *Ego testificor tibi remitti peccata*. V. de meum *Luthero-cal.* p. 3 q. 13.

QVÆSTIO III.

An, & quale quid sit Character Sacramentalis?

HÆRESIARCH. IOAN. VVICLEVS, teste Thoma V Valden. *to. 2. de Sacram. c. 109.* dixit: Characterem Sacramentalem nec affirmat Scriptura, nec ratio probat.

CALVINVS in *Antidoto* sess. 7. Cān. 9. Kemnitius & Heshufius &c. Lutherani similiter.

PAPISTA. At Scriptura cum affirmat, in meo *Antichristo* p. 3. q. 6. Et ratio, in meo *Luthero-caluin. par. 3. quæst. 15. & 16.* probat eundem: & asserunt S. Patres hic.

S. Dionysius lib. de *Ecccl. hierar.* cap. 2. *Baptizatum diuina Maiestas in sui consortium admittit, eique lucem suam perinde ac signum aliquod tradit.*

S. Cyril. in *Catechesi* 4. *Sp. Sanctus tempore baptismi animam tuam obsignat.*

Basil. *Orat. 13. Quomodo vendicat te Angelus sibi: si non agnouerit signaculum?*

Chrysof. hom. 2. in *Eph. Characterem Sp. Sancti nos insigniuit. Signati sunt & Israelitæ*; sed circumcisionis notā, vt peccata: nos autem vt filij, Spiritu Sancto.

Aug. lib. de bapt. c. 1. dicit datum in heretico baptismo characterem, sed iam conuerso, *agnosci potius, quam improbari.*

DE BAPTISMO.

QVÆSTIO IV.

Qua Materia sit & Forma debita Baptismi?

HÆRESIARCH. I. MANICHÆI, teste *Aug. de har. c. 46.* execrabantur aquam: quod corporalia omnia à diabolo procreata dicerent:

2. *Marcionista*, quod à malo principio.

3. *Seluciani*: quod aquæ baptismus esset Ioannis Christi in *Sp S.* & igne teste *Aug. de har. c. 59.*

4. *Iacobita* ideo ferro candente crucem frontibus inurebant: teste *Luxemburgio in casalo. her.*

5. *Pauliciani* pro aqua substituebant hæc verba: *Ego sum aqua viva.*